

decretis sac. congreg. Immun. sub verb. *Grassator*. At modo sufficit unus actus seu unica tantum grassatio cum morte aut membrorum mutilatione grassati, prout novissime definit et declaravit Benedict. XIII, in cit. constitut. incip. *Ex quo*, § 3, ibi: «Cum itaque prædicta Gregoriana constitutione cautum sit ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas ecclesiastica minime suffragetur; non levis autem inter doctores emerit controversia an quis ex unico actu publicus latro et grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: nos, ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica aut vicinali admissam sufficere ad hoc ut quis publicus latro et grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus,» et postea in § 7, statuit et præcipit non esse attendendas quascunque declarationes a sacra congregatione Immunitatis emanatas, quatenus præsentis suæ constitutioni adversentur. (97. Tales publicos latrones et grassatores viarum licet sine ulla pœna et culpa occidere: cap. *Cum homo*, 19, caus. 23, q. 5, l. 1. Cod. Quando liceat unicuique sine judic. Glossa in cit. cap. *Inter alia*, vers. *Nisi publicus latro*; et ibi Hostiens. n. 2; Fagnan., num. 24; Pirhing, loc. cit., num. 10, et *Communis* aliorum. (98. Non tamen sine irregularitate: cap. *Interfecisti*, 2, et cap. *Si profodiens*, 3, de homicidio; Fagnan., loc. cit., num. 25; Pirhing, loc. cit., num. 19, et alii communiter; nisi esset ob necessariam vitæ defensionem, textu expresso in Clementina unica: *Si furiosus*, de homicidio.

(99. Secundo, excipiuntur, seu jure asyli carent depopulatores agrorum, ut expresse in citata bulla Gregorii XIV, confirmata a Benedicto XIII, in citata constitut. *Ex quo*; et concordat cit. cap. *Inter alia*, 6, de Immun., ibi: «Nocturnus depopulator agrorum.» (100. Illi autem dicuntur depopulatores agrorum qui agrorum segetes aut vinearum fructus depopulantur, eosdem comburendo, destruendo, devastando, et hujusmodi, sive id faciant animo nocendi proprio domino, sive sibimet consulendo, sive occulte, sive publice id faciant, quia, cum jura indistincte loquantur, debent etiam indistincte intelligi: leg. de pretio, ff. de publiciana in rem action., cap. *Quia circa*, 22, de privileg. (101. Nec officit quod in cit. cap. *Inter alia*, ut quis privetur jure asyli ratione depopulationis, requiratur expresse quod sit nocturnus depopulator, quia bulla Gregoriana confirmata a Benedictina omisit *nocturnus*, et absolute posuit *depopulatores agrorum*; et eos indistincte privavit jure asyli, et præcepit ut forma ibi tradita servaretur, quamvis forsan antiqui canones mitiores fuissent, ex quo sufficienter videtur correctum jus commune antecedens; argum. cap. *Licet*, 1, de Constitutionibus in 6. Sic Farinac., in Appendice

de Immunitate, cap. 11, num. 161; Barbosa, loc. cit., num. 87; Reiffenstuel, l. c., n. 98, et alii.

(102. Tertio, excipiuntur et jure asyli privantur qui homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis vel earum cœmeteriis committere non verentur, uti expresse in citata bulla Greg. XIV, § 3, confirmata a Bened. XIII; et concordat c. *Immunitatem*, 10, de Immun. Ecclesiarum. (103. Imo Bened. XIII, in dicta constitutione *Ex quo*, § 4, quoad hæc notabilem facit extensionem, ibi: «Insuper ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus atque repellimus, et pro exclusis atque repulsis haberi volumus, nedum eos qui homicidia aut mutilationes membrorum in ecclesiis earumque cœmeteriis committere audent quemadmodum in Gregoriana constitutione sancitum est; verum etiam eos qui, stantes in ecclesia vel cœmeterio, interficiunt stantes extra ecclesiam, vel cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant; necnon eos qui, stantes extra ecclesiam aut cœmeterium, occidunt stantes intra ecclesiam, vel cœmeterium, aut iis membrum mutilant; ac eos tandem qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab ecclesiis aliove loco immuni violenter extrahunt et abducunt. Declarantes in quatuor prædictis casibus ejusmodi reos non illius tantum ecclesiæ quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius ecclesiæ, immunitate gaudere nequaquam posse aut debere.»

(104. Unde hic pontifex quatuor de novo disponit. Primo, declarat non gaudere immunitate eos qui, stantes in ecclesia vel cœmeterio, interficiunt stantes extra ecclesiam vel cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant. Secundo, declarat neque gaudere immunitate eos qui, stantes extra ecclesiam aut cœmeterium, occidunt stantes intra ecclesiam vel cœmeterium, aut iis membrum mutilant. Tertio, declarat et statuit neque gaudere immunitate eos qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab ecclesiis aliisque locis immunibus violenter extrahunt et abducunt. Quarto, declarat, quod in tribus dictis novis casibus, et in alio jam statuto in cap. *Immunit.*, 10, de Immun., et in dicta Gregoriana, nempe quod, qui «homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis vel earum cœmeteriis committere non verentur» non gaudeant immunitate hujusmodi rei, non illius tantum ecclesiæ quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius ecclesiæ immunitate gaudere nequeant. (105. Et hinc sunt caute legendi auctores qui hactenus aliter docuerunt et scripserunt. (106. Mutilatio membrorum, ad hoc ut sit privativa immunitatis, debet esse alicujus membri corporis, quod speciale officium ab officio aliorum membrorum habet, ut sunt oculus, pes, aures, nares, manus, lingua, membrum virile, et similia, quæ habent peculiarias functiones distinctas, a cæteris membris; non sic autem digitus etiam pollex, vel index, dentes, ungues, capilli, barba, testes, articuli digitorum, pars aliqua carnis, vel copia sanguinis, et similia quæ proprium

non habent officium distinctum ab aliis membris, uti notant communiter doctores cum Gambacur., de Immun., lib. v, cap. 18, sub numer. 7; Covarr. in Clement. *Si furiosus*, part. III, num. 8; Bonac., tom II, disp. 3, q. 7, punct. 6, § 2, sub num. 8; Ventriglia, tom. II, annot. 23, § 1, de Immun., num. 22. (107. Unde qui graviter aliquem vulnerat in ecclesia, etiam cum magna sanguinis effusione et carnis læsione, si vulnus non sit lethale, gaudet adhuc immunitate asyli. Sic declaravit sacra congreg. apud Pignatell., tom. VI, consult. 4, n. 106, præcis his verbis: «Qui faciem, vel vultum, vel os cuiuspiam in ecclesia vulnerat, gaudet immunitate,» 16 Novemb. 1618; et sub aliis verbis refert Barbosa in Summa Apostolic. Decis., verb. *Immunitas*, n. 12.

(108. Quarto, secundum bullam Gregorianam excipiuntur, et jure asyli non gaudent, qui proditorie proximum suum occiderint, ut expresse in citata Gregoriana, § 3, confirmata a dicta Benedictina; et concordat cap. *Si quis*, 1, de Homicidio. (109. Nomine *proximi sui* intelliguntur omnes homines cujuscunque conditionis, vel cultus, seu religionis, quibus etiam in charitate ac dilectione subvenire tenemur; c. *Charitas*, 2, de Pœnit., dist. 2, et cap. XIII Lucae, ac alibi; proximus enim intelligitur omnis rationalis creatura, ut docet S. Augustinus cap. 23, de doctrina Christian. (110. Nomine autem homicidæ proditoris intelligitur ille qui nulla præcedente inimicitia aut rixa, aliquem occidit sub simulata amicitia aut fidelitate, ad quam ratione muneris, conditionis, aut personæ erat specialiter obligatus, ita ut prudenter ab occiso nec deberet timeri nec præcaveri. Ut si, nulla præcedente inimicitia, vir uxorem, aut, e contra, filius patrem, aut, e contra, servus dominum, aut si quis alius fratrem socium itineris, commilitonem, contubernalem, familiarem occidit. Sic in re *Communis* cum Pignat., tom. IX, cons. 18, per totam, ubi ad rem affert plura decreta. Sub num. enim 6 sic ait: «Declaravit sac. congreg. Immun. in Beneventana, 18 Augusti 1637, his verbis: «Ad probationem «homicidii proditoris requiritur amicitia «præcedens.» Num. 7, subjungit: «Et sac. congreg. super episcopis in Rhegiensi, 12 Octobr. 1602, et in Bojanensi, 7 Apr. 1622, declaravit: «Dicitur proditor qui aliquem «cui se tanquam socium et amicum ad- «junxerat in via, nulla rixæ causa interve- «niente occidit, seu qui dolose sub amici- «tiæ colore seducit aliquem ut occidat.» Num. 8 addit: «In Casentina eadem sac. congreg., 8 Apr. 1603: «Generaliter homici- «dium commissum sine præcedentibus ini- «ciis, dicitur proditorium, et non gaudet «immunitate;» n. 9, subjungit: «Die 16 April. 1611, ead. sacra congreg. declaravit tunc dici præcessisse inimicitias, quando constat inter homicidam et occisum aliquot ante dies fuisse secutam rixam;» et num. 10, addit: «Etiam si non occidat ferro, sed veneno, vel quolibet alio modo, dicitur proditor, ut censuit sacra congreg. concil., 7 Decembr.

1632.» Et num. 11, superaddit: «Non est tamen proditor, qui occidit inimicum etiam per insidias, et a tergo, ut censuit sac. congreg. Episcop. in Bojanen., 6 Aprilis 1612.»

(111. Homicidium proditorium committit qui nulla præcedente inimicitia occidit dominum suum, familiarem, contubernalem, commilitonem, socium itineris, peregrinum, seu hospitem susceptum. (112. Item si hospes susceptus occidat susceptorem, seu cauponem, et econtra, et sic de similibus; omnes enim isti, ratione status, conditionis et muneris sui, sunt vel deberent esse ac supponuntur amici et fideles. (113. Unde a fortiori homicidium proditorium committit qui nulla præcedente inimicitia parentem, prolem, conjugem, affinem, consanguineum occidit, quia omnes isti, vel sunt vel debent esse amici, et ut tales supponuntur; unde non potest nec prudenter debet ab istis mors timeri et præcaveri. (114. Imo homicidium proditorium committit etiam occidens infantem, seu puerum usu rationis carentem, quia vere occidit hominem omnino incautum, qui præcavere non poterat, et qui est inimicitie incapax. Unde Sac. Congr. Conc., 3. Decembr. 1632, apud Barbosam in Summa Apostolic. Decision., verb. *Immun.*, n. 9, et apud Pignatell., tom VI, cons. 4, declaravit quod mater occidens filium infantem non gaudet immunitate Ecclesiæ. (115. Quinimo neque gaudet immunitate mulier procurans abortum malis medicamentis, ut expresse declaravit eadem sac. congreg. Conc., eadem die 4 Decembr. et anno 1632, apud Barbosam, loc. cit., n. 11, et apud Pignatell. l. c., n. 105. (116. Alia quoad homicidium proditorium, vide verb. *Homicidia*, *Homicidium* a n. 79 usque in finem.

(117. Quinto, secundum bullam Gregorianam excipiuntur et jure asyli privantur assassini rei, ut expresse in citata Gregoriana, § 5, confirmata a dicta Benedictina, et concordat cap. *Pro humani redemptione*, 1, de Homicid. in 6. Assassinium est, et dicitur quando pro pecunia aut alia re pretio æstimabili accepta vel promissa, committitur homicidium. (118. Assassini vero sunt et dicuntur tam illi qui, pretio conducti, alium occidunt, quam qui pretium dant aut promittunt ut talis occidatur. Ita in re *Communis* doctorum, arg. cap. *Pro humani redemptione*, 1, de homicid. in 6 et cit. const. Bened. XIII, incip. *Ex quo*, § 5; ubi sic novissime expresse statuitur: «Ad hæc in crimine assassini non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum pretium aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dum modo assassinium reipsa patratum fuerit, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus et mandamus.» (119. Ubi, ut vides, statuitur quod assassini sunt non solum mandatarii, sed etiam mandantes, ibi: *Sed etiam mandantes*. (120. Item quod ad assassinium requiritur pretium aliquod

certum et specificum, seu determinatum in pecunia vel aliis rebus consistens, et non sufficit incertæ, generalis ac vagæ rei promissio, ibi: « Qui certum pretium, aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint. » (121. Item quod qui absque pretio sibi dato, vel promisso, spe præmii et animo complacendi alteri aliquem occidit, non committit assassinium, ibi: « Tradiderint, aut promiserint. » (122. Item quod non sufficit attentatum, sed requiritur reipsa patratum assassinium, ibi: « Dummodo assassinium reipsa patratum fuerit. » (123. Et sic jam decreverat sacra congreg. Episcoporum. et Regul. in Sarzan., 21 Febr. 1620, nempe quod « antequam sequatur effectus, qui pecuniam dedit propter homicidium gaudet immunitate. » Sic refert Pign., t. II, cons. 69, num. 8, et idem pluries declaravit S. congregat. Immunitatis approbante fel. record. Urb. VIII, et signanter in una Bonon. 10 Apr. 1628, in una Neapolitana 26 Maii 1629, in una Mediolanensi 21 Decemb. 1633, in alia pariter Mediolanensi 27 Junii 1636, ut refert Sperell. dec. 120, num. 58. (124. Item si mandatarius nihil adhuc attentaverit, licet mandatum cum pecunia receperit. Mandans non privatur immunitate; sac. congr. Episcop. et Regul. in dicta Sarzanensi 21 Febr. 1620. (125. Item immunitate ecclesiastica gaudet qui mandat, et mandatum recipit, vel cooperatur propter pretium acceptum, vel promissum ad faciem ferro cuidam deformandam aut vulnerandam, quia tales improprie sunt assassini; sac. congr. Episcop. et Regul. in Neapolitana 25 Junii 1601.

(126. Sexto, secundum bullam Gregorianam excipiuntur et jure asyli carent hæresis rei, ut expresse in cit. Gregoriana, § 3, confirmata a d. Benedictina. Intelligitamen si ob ipsius hæresis crimen, non item ob alia crimina ad ecclesias confugiunt, uti jam dictum est sub verb. *Hæreticus*, n. 58.

(127. Septimo, secundum bullam Gregorianam excipiuntur et jure asyli privantur læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis rei, ut expresse in cit. Gregoriana, § 3, confirmata a d. Benedictina. (128. Rei criminis læsæ majestatis non gaudent immunitate ecclesiastica sunt occidentes, vulnerantes, percutientes, conjurantes, machinantes, hostiliter insequentes personam principis, revelantes hostibus secretum principis, ut ab ipsis capiatur, item ad hoc efficaciter consulentes, auxiliantes et favorem præstantes; Pereg., de Imm. cap. 10, num. 11; Mar. Ital., lib. I, cap. 5, § 7, n. 52; Bonacin., tom. II, disp. 3, quæst. 7, punct. 7, § 6, n. 10; Ventriglia, tom. II, annot. 23, § 2, n. 43, de Immunitate, et alii passim. (129. Ad hoc autem, ut tale crimen læsæ majestatis committentes in personam ipsiusmet principis non gaudeant immunitate, requiritur quod sint subditi illius principis, et quod princeps sit absolutus, et supremus neminem superiorem recognoscens, ut papa, imperator, reges, duces, principes, respublicæ, ut Veneta, Januensis, Lucensis, etc.

Magnus magister equitum Hierosolymitanorum, et similes habentes in temporalibus supremam jurisdictionem. Unde nomine principis, quantum ad hoc non veniunt principes, et duces pure titulati, ministri, proreges, fratres, filii, et uxores regum, nisi sint reginæ in capita jure successionis, vel ex morte regis.

(130. Ultra supradicta crimina a privilegio immunitatis excepta in cit. Gregoriana, et in quibusdam declarata, et extensa a dicta Benedictina, ut patet supra n. 96, n. 103 et 104, n. 119, 120, 121 et 122. Alia sunt novissime excepta a Benedicto XIII in d. constit. *Ex quo*, § 6, ibi: « Excludimus pariter et repellimus, atque privamus ejusdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato; falsificantes litteras apostolicas, ministros Montis Pietatis, vel alterius publici telonii aut banci pro depositis principis, privatarumque personarum destinati, furum aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit; conflantes, adulterantes, vel detondentes quascunque monetas aureas vel argenteas, etiam principum exterorum; quotiescunque in loco aut provineta, ubi crimen admittetur, liberum habeant usum, et commercium; vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, et erogare præsumentes, ut fraudis conscii atque participes censi possint. Illos demum, qui sub nomine curiæ sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earundem ædium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur. »

(131. Personæ quæ gaudent vel non jure asyli assignantur. Jure asyli gaudent omnes catholici utriusque sexus; arg. cap. *Inter alias*, 6, de Imm. eccles., et cap. *Reum* 9, caus. 17, qu. 4, et Constit. Gregorii XIV incip. *Cum alias*; necnon Constit. Benedicti XIII incip. *Ex quo*. (132. Unde audiendi non sunt, qui dicunt clericos non gaudere immunitate ecclesiastica, ut pluries declaravit sac. congregatio Episcoporum et Regular. et signanter in Tropien. 24 Jan. 1617, his verbis: « Immunitate gaudent clerici qui post delicta patrata ad ecclesias confugiunt extra casus in bulla Gregoriana (adde nunc etiam in Benedictina) comprehensos, quo in casu Abbatis opinio communiter est rejecta ac reprobata; » ita apud Pignatell., t. VI, consult. 4, num. 101, et in Faventina 20 Augusti 1606, et in eadem Tropien. 24 Jan. 1617, his verbis: « Clerici confugientes ad ecclesiam gaudent immunitate etiam respectu utriusque judicis; » Pignatell., loc. cit., n. 110, et pluries declaravit etiam sacra congr. Immunit. et signanter in Romana 17 Jan. 1628, lib. I decret. Paul., p. 76, his verbis: « Clerici confugientes ad ecclesiam gaudent immunitate ecclesiastica, » et in Sulmon. 9

Oct. 1635, l. II decr. Paul., p. 236, ibi: « Clericus percussor alterius clericus confugiens ad ecclesiam gaudere debet immunitate. »

(133. Imo etiam regularis captus in loco immuni, pro delicto non excepto in bulla Gregor. XIV (adde nunc etiam in bulla Benedicti XIII) gaudere debet immunitate ecclesiastica; sac. congr. Immunit. in Fulginaten. 9 Martii 1639, lib. I decr. Paul., pag. 110. (134. Quinimo regularis sacerdos de ordine prioris conventus, et commissarii causæ criminalis extractus ab ecclesia conventus, ad quam confugerat, e carceribus ipsius conventus restituendus est, et injungitur archiepiscopo, ut mandat restitui; ead. sac. congr. Immunit. in Neapolitana 11 octobr. 1692, lib. decret. Grimald. pag. 209. (135. Unde caute legendi sunt doctores, qui aliter scripserunt, ex quo in una Æsina, die 19 April. 1701, fuerit ab eadem sac. congr. Immunit. facta declaratio, ut sequitur: « Exposuit sacre Congregationi super immunitate et controversiis jurisdictionalibus frater Carolus de Montechio ordinis Minorum Observantiæ Reformatorum S. Francisci se extractum fuisse de mandato patris provincialis ab ecclesia conventus Æsini in quo morabatur, instando propterea declarari incidisse in excommunicationem, tam ipsum provinciale, quam fratres executores. Et eadem sacra Congregatio, auditis rationibus a patre procuratore generali allatis, inter quas adductum fuit prædictum fratrem Carolum extractum fuisse ad correctionem, et ut id ad domum disciplinæ translatum, censuit provinciale, aliosque fratres professos non incurrisse. »

Romæ, hac die 19 Aprilis 1701.

G. CARDINALIS CARPINEUS.

Jo. Vallemanus secr.

Beatissimo Padre,

(136. Fra Pietro Paolo di Cirignola per grazia di Vostra Santità procurator generale della Cismontana Riformata famiglia di S. Francesco prostrato a' suoi Santissimi piedi riverentemente l'espone, come i ministri provinciali, e guardiani delle riformate provincie di detta famiglia, dovendo per debito de' loro Uffici, et per la manutenzione della disciplina regolare talvolta penitenziare i loro sudditi delinquenti, con fargli anche mettere in carcere ad *correctio-nem*, seu in *domo disciplinæ*, acciocchè non fuggano, come gli viene concesso dalle costituzioni generali dell'Ordine, e ultimamente decretò la sacra Congregazione de' Vescovi in una Bergomen. 5 Decembris 1698, i suddetti delinquenti a pretesto di godere l'immunità ecclesiastica, si rifugiano con scandalo del secolo nelle chiese degl'istessi conventi, pretendendo che tanto li superiori, che comandano, che siano estratti, come quelli, che gli estraggono, siano violatori dell'immunità ecclesiastica, non ostante, che la sac. congr. dell'Immunità in una Æsina 19 Apr. 1701, abbia decretato il contrario. Quindi umilissimamente supplica

la somma clemenza di Vostra Santità a degnarsi confermare i suddetti decreti, e più espressamente dichiarare: « Posse a ministris provincialibus et guardianis suos subditos intra septa monasterii delinquentes constringi ad subeundas penitentias salutare, et quatenus ob id ad ecclesias confugient, licite posse extrahi. Et Deus, » etc.

Die 19 mensis Septembris 1734.

« Sanctissimus ex causis in supplici libello expositis impertitus fuit licentiam et facultatem ministris provincialibus et guardianis ordinis, de quo in precibus, ducere faciendi delinquentes religiosos, et contumaces ab ecclesiis eorum respective conventuum ad claustrales carceres, quibuscunque in contrarium non obstantibus. »

Loco ✕ sigilli.

N. CARD. CORSINUS.

PAPIEN.

« Discusso in S. Congregatione super immunitate ecclesiastica et controversiis jurisdictionalibus articulo: An pater Antonius de Vignali provincialis provincie Papien. ordin. Minor. Observ. Reform. incurrit in censuras ob extractionem ab ecclesia S. Crucis ejusdem civitatis, et successivam, implorato militum brachio, carcerationem P. F. Caroli de Gambolo, et fratri Joachini de Cartunio ab eo demandatas. Eadem sac. Congregatio, auditis rationibus diffuse allatis a prædicto patre provinciali ex una, et a recensitis fratribus, partibus ex altera, rescipit sub die 28 Februarii proximi præteriti: Non incurrisse, et superiores procedant, prout de jure. Iterumque proposita causa sub die 24 currentis Jul. ipsa sac. Congr. pariter rescipit. In decisis, et amplius. »

In quorum fidem, etc.

Dat. Romæ, hac die 28 Julii 1736.

GREGORIUS CARDINALIS SPINULA.

Locus ✕ sigilli.

Joseph Maria arch. Damasc. secr.

Dalla Segr. de' Memoriali li 28 Luglio 1736.

Essendo stata di sentimento la congregazione dell'Immunità di supplicare la Santità di nostro signore per rilevanti motivi di rivocare l'indulto, e facoltà conceduta per segretaria de' Memoriali sotto li 19 settembre 1734, ad istanza di fra Pietro Paolo di Cirignola procuratore generale della Cismontana Riformata famiglia di S. Francesco di poter estrarre i religiosi delinquenti rifugiati nelle chiese de' loro rispettivi conventi per condurli alle carceri claustrali, la Santità Sua è restata servita di comandare, che in avvenire non abbia alcun vigore, e forza il rescritto del detto indulto, e facoltà, volendo, ed ordinando, che un tale affare si riduca a termini di ragione con lasciare illesa la dipendenza, che devono avere in simili casi i superiori regolari dai Vescovi. Per tutto ciò, ed in virtù d' espresso comandamento di Sua Beatitudine il cardinal Corsini ne dà l'avviso al padre Gio. da Pietrafitta vicecommissario generale de' Riformati di San Francesco, e indi lui assenza al P. Lettor Felice da Roma

